

nos differuerunt, admonitus, nostris nundinis Martinianis per vestratem Negelium, mittam. Bene vale V. C. & Compater charissime Basil. 3. Octobris: cujus calendis exorsus sum  $\sigma\upsilon\nu$   $\theta\epsilon\omega$  ætatis an. 59. quod mihi bene vertat Christus. 1588.

## EPISTOLA LVI.

**S** Quum absolvissem meas, ad magnum Urbis vestræ ornamentum D. Baumgartnerum, literas, visum mihi & hoc per te, Vir Clar. eidem & aliis bonis significare. Animadversa sunt in Tragoedia Guisiana (a) hæc duo  $\alpha\zeta\iota\omicron\mu\upsilon\eta\mu\acute{o}\nu\epsilon\upsilon\tau\alpha$ . Primum, eo loco Arcis Bloysinæ interfectum esse Guisium quo ipso loco conjuratio, de persecutione Bartholomæana (b) conclusa pridem fuit. Ut Aristobulus Rex Judæorum eo loco  
K 3 fanguis.

(a) de hac tragœdia brevibus notetur, quod A. 1588. in Galliis *Henricus III.* a Guisiana factione commotus, simulata in Guisios fratres benevolentia insigni, cum spe ampla ad se venientes, occidi iussit. Pluribus videatur *Thuanus* ad A. 1588. a pagina 571. ad 576.

(b) intelligit notissimam illam *Lanienam Parisiensem* die Bartholomæi 1572. susceptam, ubi *Guisius* primus erat, qui cum aliis conjurationem suscepit, videatur *Thuanus* Lib. LII.